



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.  
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,  
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,  
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

Bobiense monasterium, in Italia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11261**

tutor Sabandiae: à quo & ordo apud Sabandos Equestris nomen induit. Fuit is martyrio coronatus circa annum 298. sub Imp. Maximiano, cum esset Thebæ legionis caput ac præfectus.

*Luxouium, in Comitatu Burgundia.*

Sanctum Columbanum Abbatem anno 602. ex Hibernia in Burgundiam venisse, ibique Theoderico Rege permittente, Lugonienſe monasterium inchoasse, tradit Sigebertus in Chronico.

Pulso postmodum, per Theodericum Regem, è Francia Columbano, B. Eustasius eius discipulus Luxouienſi cœnobio summa cum laude præfuit.

Est autem Lugonium hodieque illustre monasterium, eiusdem nominis opido, in Burgundiæ Comitatu inclusum, quod *Lugeul* vulgò nuncupant. Fuit hoc olim monasterium quoddam quasi Apostolicorum, per Galliam virorum seminarium, ex quo summi illi viri *Andomarus* Morinensis, *Aicharius* Nouiomensis ac Tornacensis, *Chagnoaldus* Lugdunensis, *Ragnarius* Augustodunensis Episcopi, *Bertinus* Abbas Sithienſis, aliique plurimi prodierunt.

Ab eodem monasterio olim congregatio reformata Luxouienſis nomen habuit.

*Bobiense monasterium, in Italia.*

**H**uius auctor fuit S. Columbanus, patria Hibernus, qui & Luxouienſe in Burgundia

Gundia, vt dixi, cœnobium excitauit. De quo sic Sigebertus in Chronico:

*Sanctus Columbanus à Theoderico, Regē, instinctu Brunichildis auia, expellitur Franciā; qui post, relicto Gallo discipulo suo in Alemannia, cœnobium Bobium construxit in Italia.*

Ceterum B. Columbanus paullo post Eustasium, monachum & discipulum suum, ex Italia in Galliam remisit, qui vnā eum S. Vualerico, B. Columbanī pariter discipulo, Luxouiese monasterium laicis ademit, & monasticam ibi disciplinam instaurauit. Consule Ionam in Vita S. Columbanī, & Acta S. Vualerici apud Surium.

S. Columbano Anno 622. iuxta Sigebertum in Chronico, aut anno 615. iuxta Baronium, defuncto, successit in regimine Bobiensis monasterij Attala.

## CAPVT XIV.

*S. Maximini monasterium, extra muros vrbs Treuerensis.*

**S** Maximini potentissima vetustissimaque Abbatia, extra vrbs Treuericæ Nigram vel Martiam portam, in ipso campo Martio, à regione cœnobij S. Mariæ ad Martyres, prope S. Paulini olim cœnobium, nunc verò Canoniorum sæcularium collegium sita, ex

D

regio